DE PRAESTANTISSIMO EMETICORUM USU.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIEDERICA-GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XXVI. M. FEBR. A. MDCCCXXXI.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS SCHNITZER

SILESIUS.

OPPONENTIBUS.

W. PRITZKOW, MED et CHIRUR. DD.
C. KRUEGERMANN, PHIL. CAND.
G. SCHWENGBER, MED. et CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS PLANII et COMP

JOSEPHO SCHNITZER

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO

NEC NON

VIRO

CLARISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO

FRANCISCO PIEHATZEK

GYMNASII OPPOLIENSIS ARCHIDIDASCALO.

praeceptori meritissimo

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Pharmacon est ingens; facilis tamen error in illo,
Ergo vel ad vires vel ad ipsum respice morbum,
Nec nimis audacter vomitoria pharmaca misce.

Hebenstreit.

Pars I.

Generalia.

Actionis, quam vomitum vocamus, multifariae adsunt theoricae tam antiquiorum quam recentiornm physiologicorum. Quarum explicationem, cum extra meum propositum sit, omittens, ea tantum breviter attingam, quae ad rem, de qua in sequentibus disseram, recte intelligendam plurimum valere mihi videntur. Chirac [1]) vomitum nonnisi per actionem diaphragmatis et musculorum abdominalium ventriculum comprimentium oriri, primus contendit, quam sententiam ab Hallero [2]) gravissimis argumentis revictam atque confectam denuo John Hunter [3]) e tenebris in lucem retraxit, neque ta-

[1]) P. Chirac in epistola ad Eman. Koenig (vid. Ephemerid. med. phys. Germanic. Acad. naturae curios. an. IV. dec. II. p. 247.)

[2]) Alb. ab Haller Elem. Physiol. T. VI. p. 281—292. Opp. minor. T. I. p. 384—389.

[3]) Obss. on certain. parts. p. 200.

men ab oblivione vindicasset, ni nostro tempore Magendie[1]) miram hanc opinionem iterum experimento confirmasse censuerit. In canis ventriculi resecti locum vesicam aqua repletam oesophago alligavit, quo facto, solutione tartari stibiati in ejusdem animalis venas in fusa effectum est, ut, musculis abdominis et diaphragmate ad motus excitatis maxima aquae pars sursum ejiceretur. Quo vero exprimento, licet plurimi phisiologici hodierni obcaecati sint, rem tamen, quae debuerit, illustratam non esse ex rationibus et experimentis doctissimorum physiologicorum facile intelligitur.[2]) Quidenim? (ut ex multis aliqua afferam) si, ut Maingault[3]) refert, quamquam musculis abdominalibus et diaphrogmate resectis vomitus ortus est, quomodo, quum contra ventriculus paralysi laborans vomere nequeat, hoc probare vis, ni concedas, vomitum nonnisi actione, ventriculi perfici? Haec autem actio oritur, si ventriculus contractione et motibus antiperistalticis in stimulos, qui ipsum movent, reagit.

Neque negandum,

1. contractione ventriculi etiam sympathicas diaphragmatis et musculorum abdominalium contractiones oriri, quibus ventriculus in vomendo sustentetur;[4])
2. oesophagum nequaquam relaxatum, sed per eandem ac ventriculus actionem ea, quae ab hoc acceqerit, surum pellere;[5])

---

[1]) Mémoire sur le vomissement. Paris 1813. 8.
[2]) K. A. Rudolphi Grundr. der Physiol. B. 2. Abtheil. 2. §. 391. Anm. 1.
[3]) Mémoire sur le vomissement. Paris 1813. 8.
[4]) Adelon Physiol. T. 2. p. 602—5.
[5]) ibid.

3. motum illum antiperistalticum non modo in ipso ventriculo, sed quolibet tractus intestinorum loco oriri posse.[1])

§. 2.

Vomitus modo sympathicus existit, si irritatione partium cum ventriculo consentientium primaria, ipsius visceris secunderia producitur, modo idiopathicus, qui in ipso oritur ventriculo, seu morbis vitiisque ejusdem topicis, quae nimiam afferunt sensibilitatem, sive quibuscunque irritamentis domesticis, quae mole, pondere, tenacitate, acrimonia, impedito per pylorum trajectu, fibras ventriculi lacessunt[2]), sive denique iis, quibus specifica quaedam inest vis vomitoria, qualia sunt vomitoria s. emetica stricte sic dicta. Quibus haec fere adnumerentur:

1. Rad. Ipecacnanhae ob ipsius blandissimum effectum et vim spasmodicam infantibus imprimis aegrotisque parum firmis conducens, et si diarrhoea vitanda est, in usum vocetur. Cui neque rad. Viol. odorat. et V. canin., neque rad. Asari Europaei, ut Coste et Willemet[3]) voluernnt, neque aliud quidquam emeticum substituendum.

2. Tartarus emeticus, omnium emeticorum usitatissimum, multo acrius incidit radice ipecac., ita ut, si majori dosi diutius, quam necesse est, in ventriculo remaneat, ut venenum agat acre. Usus est, ubi cito vomitum provocare simulque alvum exonerare in animo est.

---

[1]) Rudolphi l. c.

[2]) Gaubii inst. pathol.

[3]) Coste et Willemet. Essais botaniques, chimiques et pharmacentiques, sur quelques plantés indigénes, substituées avec succés á des vegetaux exotiques. Nancy 1776. Samml. f. pr. A. Bd. 4. S. 328—489.

Vinum emeticum s. solutio tartari stibiati in vino Malacensi, si meram vim vomitoriam respicis, praeparatum supervacaneum.

3. Zincum sulphuricum ob ingentem vim vomitoriam, necessitate tantum urgente, abhibendum.

4. Cuprum sulphuricum ob effectum certiorem neque tamen vehementiorem tartaro stibiato substituere, nonnulli medici recentiores volunt.

5. Oxymel scilliticum nonnisi adjuvans alius cujusdam emetici in usum vocandum arbitror.

§. 3.

Quamquam illam veterum opinionem, vomitum esse praeter naturam, refutare non possumus, tamen dicere licet, eum a natura nobis datum esse, quo duce utamur ad sanitatem et conservandam et restituendam. Criticum eum et prophylacticum, quis enim est, qui ignoret? Neque desunt documenta virorum experientissimorum omnis aevi, qui, omnibus aliis remediis destituti, in emeticis perfugium salutemque receperunt. Attamen et hodie medicorum sunt alii, qui omnem fere emeticorum usum negligunt, alii contra, etsi rarius est hoc genus, qui ea in morbis adhibent usui eorum etsi penitus repugnantibus. Utrorumque vero dissensionis causa ponenda est partim in metu illo emeticorum a majoribus tradito, partim in negligentia, qua vires eorum in organismum agentes disquisiverunt. De quibus, pro facultatibus nostris infirmis nonnulla, qualiacunque nobis innotuere, conferre nunc tentabimus.

§. 4.[1])

Phaenomena, quibus proximus emeticorum effectus

---

[1]) S. Th. Soemmering v. Baue d. menschl. Koerp. T. V. Abthl. 2. §. 178.

manifestatur, plerumque certo quodam ordine sequuntur certaque percurrunt stadia, quibus cognitis late patet campus ad vires medici exercendas.

1. Paulo post emeticum propinatum sensibilitas nervorum periphericorum per antagonismum deminuta musculorum nunc tantum majorum extremitatum atque dorsi irritabilitatem deminutam indeque debilitatem ipsosque harum partium dolores, lassitudinem, dedoladtionem universalem et levem horripilationem affert.

2. Ex majore nunc ventriculi irritatione nausea oritur. Est hic ingratus circa stomachum sensus cum ciborum atque potus horrore ac inani ventriculum evacuandi desiderio. Crescente autem nausea etiam effectus ille antagonisticus adauctus et jam in alias quoque nervorum provincias diffusus debilioribus organorum actionibus cognoscitur.

a.) Primum maximeque functiones vitales infestantur,

α.) cordis totiusque systematis vasorum sanguiferorum irritabilitate infracta. Pulsus, jam antea tardus, nunc tardior, debilis, parvus, frequens ac valde inaequalis. Omnis autem sanguinis impetus in ventriculum, uti locum irritationis, et in organa vicina fertur. Inde oritur ardor et oppressio in regione epigastrica, dum contra in partibus magis remotis sanguinis quasi exhaustio cernitur. Facies fere hippocratica, pallescit, collabitur, nasus acuminatur, labia livent extremitatesque frigent. Succedit

β.) respiratio difficilis, tussis, si adest, desinit; intrat quoque

b.) functionum animalium labefactio. Visus auditusque hebescunt, labescit memoria incidente vertigine, et

nonnunquam eclipsis et ipsa lipothymia. Haec vero phaenomena non tam illo sanguinis, quem principem systematis nervosi stimulum scimus, recessu, quam antogonismo offensi ventriculi in cerebrum orto adduci, facile censeam.

c) Functiones naturales alacriores nunc redditas cernimus. Huc spectat salivae in oris cavum affluxus creber cum sputatione frequente, in universum omnium humorum secretio et liquefactio adaucta, ampliata imprimis secretio membranarum mucosarum, canalis cibarii, hepatis, pulmonum, faciliore simul expectoratione, renum, maxime vero vasorum lymphaticorum.

3. Jam vero et ventriculus pariterque musculi abdominales et diaphragma nunc contrahuntur, nunc iterum laxantur iterumque contrahuntur, donec contractione expansionem vincente ea adducitur actio, quam vomitum vocamus, et qui haec phaenomena paullatim profert.

a) contractio oesophagi, ventriculi, musculorum abdominalium et diaphragmatis tam vehemens, qua nonnunquam oesophagi ac ventriculi ruptura adducatur;

b) Intestinorum abdominalium pressio;

c) Concussio totius organismi indeque incitatio omnium ejus systematum atque functionum;

d) Exspiratio aucta et frequens, inspiratio contra suppressa, indeque

e) Congestio sanguinis in caput, muci nasalis secretio aucta, cerebri oculorumqre incitatio major;

f) Excretio eorum, quae oesophago, ventriculo, saepe etiam quae duodeno et intestibus tenuibus continentur, nec non eorum, quae tracheae, bronchis et bronchiis inhaerent;

g) Ventriculi musculorumque relaxatio;
h) Sanguinis reditus usque in ultimos arteriarum fines indeque
i) Sudor copiosus universalis; sudore largo absente
k) Lotium eo majori in copia excernitur;
l) Diarrhoea haud raro vomitum insequitur, partim emetici vi ipsa etiam in partes tubi intestinalis inferiores agente, partim ex bile nimia et succis entericis durante vomitu secretis orta;[1])
m.) Nonnunquam vero obstructio alvi sequitur, si energia superioris et inferioris partis tubi alimentarii aequalis est, et vomitus motum peristalticum indeque diarrhoeam coërcere potest.

§. 5.

Systema irritabilitatis emeticorum dosibus plenis quum primum relaxetur, dein incitetur, refactis dosibus tantummodo relaxari potest; ita quoque haec in systema nervosum vim exhibent sedantem, illae primum vim sedantem, dein excitantem, alterantem.

In systema reproductivum emeticorum doses quaelibet agunt excitantes tam

1. in canalem alimentarem, cujus vim vitalem stimulant, quam
2. in omnia cetera systemata et organa reproductionis

In vasa limphatica eorum vis praestantissima et praeclarissima animadvertitur. Horum enim vasorum actionem valde augentes, resorptionem nec non membranarum mucosarum excretionem promovent, stagnationesque efficacissime debellant discutiuntque.

---

[1]) Cullens Abhandl. ü. d. mater. med. v. Hamann übers. B. 2. p. 578 ff.

§. 6.

Indicationes ad vomitum ciendum facilius ex memoratis apparent, quam conditiones eorum usum negantes, quae cum paucae sint, neque hae quidem certae ac fixae, lectoris benevoli judicio eas commendare rectius mihi visum est et accommodatius.

Pars II.

De praestantissimo emeticorum in morbis usu.

I. Pyrexiae.
A. Febres.
a. Continuae.

§. 7.

Tempore illo, quo medici in omnibus fere morbis nil nisi sordes suspicati easque removere conati sunt, emetica ad omnes febrium species curandas adhibebantur, quibus peccans removeretur materia. Cui vero methodo Brown finem imposuit, omnes febres demonstrans esse atonicas ideoque usui emeticorum, quibus utut evacuantibus maxima inesset vis debilitans, penitus repugnare. Recentioribus demum temporibus medici, febrium natura et causis necnon emeticorum viribus integrius rectiusque inspectis, eo pervenerunt, ut, quantum haec ab illis poscerentur, magis magisque intellexerint.

§. 8.

De emeticorum usu in febri gastrica ea sufficiant, quae P. Frank de febris biliosae ac saburralis cura peritissimis his verbis docet [1]):

---

[1]) epitome de curandis hom. morbis l. I. §. 109.

„Quodsivero haec complicatio (sc. in flammatoria) desit (nec enim quaevis mox pulsuum plenitudo, aut pectoris angustia, vel dolor punctorius hanc indicant): tunc, qua via bilis aut saburrae turgeant, ac si mobilitatem materiae ex hoc ipso agnoscamus: hae vel per oesophagum, vel per alvum promptissime evacundae sunt. Solventibus igitur tenacem carassamque materiam attennuamus, potuque incidente ac acidulo diluimus: donec emetico, vel purgante, pro necessitate saepius repetito, praecipuam bibliosae affectionis causam eliminasse videamur.

Erunt quidem certae interdum circumstantiae, quae emetici porrectionem contraindicabunt; sed quo major in diagnosi certitudo, et quo vehementior morbus est: eo minor contraindicantium numerus et auctoritas erit; neque minoribus periculis spes vitae, quae saepe ab emeticis unica est, sacrificari debet. Hinc si major instet morbus, nec hernia, quae sub emetici operatione contineri ac fuliciri potest, nec perpessae pridem haemoptysis metus, nec spirandi difficultas, aut major ad ventriculum sensibilitas, nec praegnans uterus, nec tenera aetas, aut senectudo, ab emetico absterrebit; quod, mitiori aegritudine, sub iisdem contraindicantibus, cum purgante commutari interdum oportebit. Nec interim evacuante per inferiora medicamento, vomitorii potenter indicati actionem supplere licet; nec major ab isto, quam a tarda in gastricis ac profusa diarrhoea, quae neglectam insequetur emesin, aegrotantis debilitas timenda erit. Quidquod et tardior saburrae ad superiora turgentis significatio, nisi latens abdomine, aut thorace inflammatio imponat, aut vires jam propemodum dele-

tae obstent, vomitorium sibi non raro expostulet. Interdum paucae erunt, quae per vomitum a stomacho excutiantur materiae, sed magna hunc ipsum immminutio symptomatum insequitur: ex qua conjicere fas est: vel parva interdum principia majoribus turbis subesse, vel emeticorum actionem in ejecta minus consistere materia, quam in alia super nervis abdominalibus potentia esse quaerendam. Siccissimam et fere ustam in ore linguam, ab emetico, mox placidissimo rore madefactam, et naturali mollitie repristinatam, tum nos ipsi conspeximus, tum alii; ut igitur nec ab hoc quidem symptomate vomitorii indicati administrationi contradicatur etc."

§. 9.

In febribus rheumatica vel catarrhali indole indutis J. Frank [1]) emeticorum refractas doses incomparabilia nominat remedia, non solum, quod transpirationi prospitiant, sed etiam quod statum convincant gastricum, hisce febribus saepe accedentem, in quo indicationes neque emeticorum neque purgantium evidentes cernantur. Sed eundem illum ac fortiorem effectum ex emesi prodire, non solum ex iis, quae supra exposuimus, sed etiam ex experimentis illis colligitur, quae Heim et Horn in nosocomio ad Charitatem prosperrimo cum eventu instituerunt.

§. 10.

In omnium febris nervosae specierum primo jam stadio emeticum adhibitum maximae esse utilitatis, perplures testantur auctores [2]), quo quum, praeter latentis

---

[1]) Prax. univ. med. praecept. l. I. p. 271.

[2]) Richter spec. Therap, B. I. p. 2. 12. — S. G. Vogel. Handb. d. pr. A. T. 2. §. 72.

materiae irritantis naturam, ac brevissima via institutam ejectionem, nervosum systema non parum excitetur, cutanea transpiratio promoveatur, spasmique moderentur.[1]) Sed cave ne nimia excitatione astheniam magis indirectam adducas. Quare, nisi ad colluviem gastricam removendam, emeticum imprimis in febri nervosa torpida, aliis quippe nervinis non valentibus, adhibendum esse, existimem. In febribus autem nervosis cum erethismo refractas potius emeticorum doses, cum vim narcoticorum frigidorum evolvant, porrigas.

§. 11.

De usu eorum in febri putrida ad contagium dispergendum tantopere laudato suspicari licet, emetica, etsi contagium, cujus natura in luce nondum collocata est, non (ut jam Bosquillon monuit) evacuatione removeant, organismum totum ita concutere, ut vitalis omnium systematum processus non solum auctus sed etiam peculiare modo mutatus reactione inde exorta illud delere et ad nihilum redigere possit.[2])

Neque sunt negligenda, quae prioris temporis auctor docet, vomitionem in putridarum principio citra omnem inflammationis metum esse provocandam, quoniam hac via morbi materia, cum saliva ad ventriculum delata eundemque acriter irritans, egeratur, et haud raro prorsus tollatur.[3])

b) **Febris intermittens.**

§. 12.

Contra febrim intermittentem nullum existere spe-

---

[1]) P. Frank l. c. p. 128.
[2]) cf. Richter l. c. p. 252.
[3]) Hilarys Obss. on the charges of the air. p. 159. sq.

cificum, nemo est, qui negat. Attamen non solum hanc febrem gastricam, in qua, postquam sordes mobiles redditae sunt, emesis per se ipsam indicata est, sed eam quoque, quam P. Frank nervosam nominat, omnibus aliis remediis ad irritum redactis, nonnunquam solo emetico sanari, constat,[1]) quod utrum ob ejus effectum in systema gangliorum alternantem, an, quod probabilius est, crisibus omnibus acceleratis fiat, res est liti subjecta.

B. Inflammationes.

§. 13.

In inflammationibus emetica vario modo salutifera esse possunt.

1. Cum tubum intestinalem excitent, derivationem praebent organo ab inflammatione correpto; quo etiam purgantium efficacitas in inflammationibus sanandis ex parte forsan deduci potest:
2. Spastica, si adest, vasorum sanguiferorum constrictione sublata, sanguinisque circulatione adaucta sanguinem stagnantem accumulatumque promovere plethoramque topicam auferre possunt.
3. Omnes secretiones et excretiones cum adjuvent, crisi favent. Unde et
4. Vasorum absorbentium actione aucta, exsudationem cohibent resorptionemque ampliant.

Quae vero cum in plurimis inflammationibus nondum satis sint probata, emeticum ibi tantum adhibendum esse existimem, ubi tam ratione quam experientia indicetur.

---

[1]) Stieglitz Vers. einer Prüf. u. Verbesser. d. jetzt gewöhnl. Behandl. d. Scharlachf. p. 74. — Vogel l. c. T. 1. p. 98.

1. In inflammationibus biliosis [1]), necnon in iis, quae sordibus concitate sunt in ventriculo contentis, quas per alvum exonerare non licet, aut tempus non patitur. Sed et hic cautum esse, necesse est, ne hepatitide latente, sordium signa fallacia pro veris habeantur, et ad morbi gravitatem respiciendum, neque si gastritis aut scirrhus ventriculi adest, emeticum unquam porrigendum.
2. Inter plures alios practicos peritissimos Horn [2]) praesertim in plurimis anginae speciebus vomitoria ut excitantia, resolventia, evacuantia laudat, sed nusquam tanto certe jure quam in angina (sic dicta) membranacea, in qua remedia sunt sine dubio primaria. Quem successum non tam actioni eorum evacuanti, quam illi supra (2. 3. 4.) explicatae tribuam, et quia jam primo stadio morbus tolli, et contra concrementa jam exsudata adhibitis emeticis saepe non evacuari possunt. Quem igitur morbum rapidissimum, simulac contigit cognoscere, ad methodum emeticam confugere, nunquam omittas. [3]) In angina quoque, quae nobis in scarlatina occurrit, emeticum maximum afferre commodum, P. Frank [4]) testatur, et mihi quoque occasio fuit observandi in policlinico medico sub perill. Hufeland auspiciis florente.
3. In phlegmasiis, uti catarrho, rheumatismo, arthritide acuta.

---

[1]) Stoll ratio medendi T. I. II. III.

[2]) in praelectionibus.

[3]) Horn l. c. — Hegewisch in libello in vulgus haud edito, se anginam membr. solis emeticis felicissime tractare, testatur.

[4]) l. c. l. 3. p. 93 sq.

Exanthemata.

§. 14.

Emeticorum usus in exanthematibus duplex est:

1. ad evacuandum. Inde fit, ut nulla aptiora reperiantur remedia in exanthematibus gastricis, in erysipelate (Horn, Rust etc.), aphthis et in variolarum stadio irritationis, nec non in aliis exanthematibus cum gastricismo complicatis, si turgescentia adest sursum, prae ceteris in scarlatina gastrica.[1])
2. ad cutem aperiendam sudoremque inde excitandum. Requiruntur igitur emetica, si eruptionem ob constrictionem cutis spasticam retardatam promovere, aut suppressum exanthema ob cutem offensam revocare vis. Sed cum alia nobis praesto sint medicamina, quae eodem modo agunt neque tam volatilem effectum refrigerationemque inde tam facile adducant, emeticorum usum, ut hic scopus adtingatur, certis limitibus coercendum esse censeo.

II. Apyrexiae.

A. Neuroses.

§. 15.

Qua ratione in neurosibus in universum utilia reddantur emetica, vi eorum et neurosium natura cognita, tam facile elucet, ut nulla nobis supersint memoranda. Ad ea igitur accedam genera atque species neurosium, in quibus remedia nostra imprimis commendantur.

---

*) P. Frank ibid. — Stieglitz l. c. in primo stadio scarlatinae emetica ac purgantia nunquam non adhibenda esse, concontendit.

a) Hypochondria. Etsi extra dubium est, nullo alio remedio systema gangliorum, quod in hypochondria torpidum esse scimus, tantopere excitari stagnationesque in organis abdominalibus tam fortiter solvi, quam vomitione, qua etiam systema cerebrale commutetur, tamen ejus tunc demum aliquem exspectare licet fructum,

1. si ad causas spectat remotas, quas tollere potest,
2. si hypochondria sine materia est; sed hic tonica forte plus valebunt.

b) In vesaniis autem, uti in melancholia, mania, amentia etc. emeticorum usum non solum ad nauseam usque continuatum, sed ad vomendum quoque quis ignorat saluberrimum? Est hic derivans et somaticum praestans, cum tubus intestinalis exinde incitetur, et psychicum, cum animum in alterum dirigat malum. Sed et hic ad statum praesentem et ad causas respiciendum, et venaesectio, si congestiones adsunt in caput, praemittenda esse videtur. Homini sui ipsius neglectissimo, et meridiani solis ardoribus exusto (quod humidissimum, et aquosissimum in bile erat, resiccabatur, et consumebatur; crasissimum vero, et acerrimum relinquebatur, quod in sanguine eadem quoque ratione acciderat. Hippocr. de natura hom. c. 3) vomitiones excitatae mentem restituerunt.[1]) Viduam, quae moerore mariti defuncti inhorruerat atque incaluerat complures horas, emesi sanatam esse, idem auctor narrat.[2]) Horn emetica et purgantia iteranda initio

---

[1]) Stoll l. c. T. II. p. 96.
[2]) ibid. p. 326 sq.

maniae puerperalis, Kopp emetica laudat in mania potatorum, et Floyer in mania hysterica.

c) Spasmi et convulsiones quum contractione nimia exciantur, emetica imprimis uti excitantia, antispasmodica postulant. Quae vero nunquam in ipso paroxysmo adhibenda esse, quisque intelliget.

In epilepsia Richter[1]) ea praedicat:

1. non solum si sordes uti materia peccans e ventriculo sunt evacuandae, qua sola ratione epilepsiam jam sanatam esse, van Swieten narrat[2]), sed etiam
2. tum ut singuli prohibeantur paroxysmi, quare ea si aura epileptica vel alia prodroma appareant, porrigi vult; qui vero effectus aliorum medicorum experimentis haud probatus est.[3])
3. tum contra ipsam epilepsiam; neque desunt testimonia eventus prosperrimi.[4])

Hos posteriores effectus ab emeticis provocari inde arguit, quod, dum contractionem antagonisticam sive topicum quasi ventriculi spasmum producunt, impediunt, quominus universalis oriatur, et quod systema nervosum concussione elevent.

Raphania, quae nonnisi f. pituitosa nervosa est, omnium, quorum exstant, medicorum experimentis eme-

---

[1]) l. c. Bd. 7. p. 688. sq.
[2]) Comment. etc Vol. III. p. 439.
[3]) Jahn Klnik d. chron. Krankh. S. 272.
[4]) Wedel: Diss. de epilepsia praes. Wedelii, auct. J. Roesero. Jen. 1673. Ettmüller: Diss. de epilepsia praes. Ettmüllero, resp. G. Weinlich. Lips. 1676. Stoll, de Haen, van Swieten: Comm. T. III. aphor. 1080. Meibom: de epilepsia stomachia. Helmst. 1740.

ticis ac purgantibus a primo morbi initio adhibitis optime sanata est.[1])

In trismo neonatorum, qui plerumque gastricus est, emetica bonum praebuerunt effectum.[2]) Contra Girtanner[3]) ea et purgantia lethalia hic esse, dicit.

In tussi convulsiva plurimis iisque celeberrimis medicis (Fothergill, Wichmann, Rühling, Stoll, Danz, Hufeland) magnis laudibus tolluntur. Aaskow[4]) iis solis sanitatem attulit. At Marcus[5]) ea in hoc morbo, quem bronchitidem epidemicam nominat, non solum inutilia, sed noxia plerumque esse, opinatur. Haase[6]) ea sub fine stadii covulsivi ac in stadio decrementi (blennorrhoeae) proponit. Sed si, quae Haase[7]) de natura hujus morbi disserit, probabilissima videntur, certe etiam emeticis ob vim dissolventem, antispasmodicam et evacuantem in ceteris quoque stadiis uti possumus.

Etiam vomitum vomitu sanari, jam veteres dixerunt. Spectat huc vomitus non modo ex indigestionibus in ventriculo contentis (exceptis venenis causticis) ortus, sed is quoque, qui causis adducitur ventriculi irritabilitatem deprimentibus ejusque sensibilitatem alienantibus, qualis est vomitus potatorum, vel is, qui suscepto

---

[1]) Haase, üb. d. Erkenntn. u. Cur d. chron. Krankh. B. 2. p. 231. Richter l. c. l. 7. p. 794.
[2]) Brendel: Programma de spasmo maxillae inferioris §. 55. Hufeland üb. d. Blattern etc. p. 373.
[3]) Girtanner Abhandl. üb. d. Krankh. d. Kinder etc. p. 32.
[4]) in Act. Soc. med. Hawn. Vol. I. p. 290.
[5]) d. Keichhusten etc. p. 181.
[6]) l. c.
[7]) ibid.

itinere maritimo, vel coelo vel loco mutato etc. procreatur. Eodem modo

d) emetica in pseudaesthesiis et hyperaesthesiis agunt ventriculi, uti in pica, bulimia etc. pariter ac in anorexia. Quatenus autem in colica, cardialgia aliisque similibus affectionibus conducant, ex prioribus colligitur.

e) Adynamiae.

In apoplexia ad potiora spectant auxilia, venaesectione, si necesse est, antea instituta;

1. ad causas remotas demendas [1]), quae si vel in venenis consistunt narcoticis nondum digestis, vel in repletione ventriculi nimia praecipue cum spirituosis.
2. ad ipsam asphyxiam sanandam ex commotione imprimis cerebri subortam. [2])

In paralysibus, quae ex cerebro egressae invicem ad ipius functionem referuntur, emetica eodem modo agunt [3]). Et ipse aegrum, qui de scala delapsus loquelam omiserat, omnibus aliis remediis frustra adhibitis, solo emetico statim sanatum vidi.

Ad reficiendos eos, qui aquis submersi aut aëre mephitico asphyxia correpti sunt, inter alia remedia etiam emetica adhiberi solent, sed neque priusquam facultate deglutiendi reversa, neque venaesectione, si congestiones adsunt in caput, omissa [4]).

---

[1]) Richter l. c. p. VIII. 289 sq.

[2]) ibid. p. 806. et med. chir. Bemerk. B. 2. 109.; Asklepieion Aug. 1811. No. 65.

[3]) ibid; spec. Th. l. c. p. 842.

[4]) Richter spec. Therap. l. c. 591. sq. et p. 616. Wiedemann Anweis. zur Rett. d. Ertrunk., Erhängt., Erstickt. etc. Braunschw. 1804.

Catarrhus suffocativus infantes subito invadens emeticis avertitur.[1])

B. Profluvia.

a. sanguinis.

§. 17.

Haemorrhagias bibliosas emetica stiterunt[2]).

b. aliorum humorum.

§. 18.

Diarrhoeam gastricam nullo alio saepe egere remedio, quam solo emetico, quo quum materia irritans repellatur nimiusque, qui adest, motus peristalticus invertatur (vid. §. 4. m.) ,cuivis notum erit. Est autem hic imprimis ipecac. efficax (vid. §. 2. 1.)

Ad dysenteriam quoque vincendam alii nulla inveniunt praestantiora, quam purgantia vel emetica[3]), eoque consilio rheum aut ipecac. praescribunt; quae secundum aliorum in arte eruditorum experientiam noxia habenda sunt et vintuperanda[4]). Quod certamen eo videtur dirimi, si plures species exstare dysenteriae animo perpendamus earumque caracteris diversi rationem habeamus. In dysenteria inflammatoria, uti in calidis regionibus occurrere solet, talia processum vitalem excitantia medicamina, nullum alium nisi pestiferum procreare effectum valent; in venaesectione potius universo-

---

[1]) Girtanner l. c. p. 93.
[2]) Stoll l. c. T. II. Richter Bemerk. p. 112. Asklepieion l. c.
[3]) Tissot, Tode. Unzer.
[4]) Rud. Vogel in praelect, et alii.

que antiphlogistico apparatu remedium materiae morbificae e radice revellendae reperiemus. Dysenteriae apprime gastricae purgantia vel emetica conducere, nobiscum facile omnes consentient[1]). Emetica in dys. etiam rheumaticae et asthenicae indolis a Frankio[2]) laudibus digna habentur, magis quod canalem excitent alimentarem diaphoresinque moveant, quam quod innocentia expellant.

In ptyalismo emetica ob effectum rovulsorium commendata purgantibus drasticis postponuntur[3]).

Theoria gastrica in gonorrhoea gastrica adhibebantur (Nose et Sallaba), et nostro aevo medicus quidam practicus iis gonorrhoeam inveteratam prosperrime sanare refertur.

C. Suppressiones.

§. 19.

Si vesica urinaria contenta sua extrudendi vi caret, tum fortis e vomitu musculorum abdominalium orta contractio forsitan morbum levare potest[4]).

D. Intumescentiae.

§. 20.

In hydrope vasorum tam secernentium et excernentium quam absorbentium actione aucta nec non interdum evacuando[5]) auxilium ferre possunt. In hydrocele ea alternis diebus propinata ad praestantissima remedia

---

[1]) cf. S. G. Vogel l. c. l. s. §. 113.
[2]) epit. l. s. §. 2. p. 518.
[3]) Haase l. c. B. 3 Ahtheil. 1. §. 113.
[4]) cf. Richter l. c. B. 3. p. 54. sq.
[5]) ibid.

numeranda sunt [1]). In aliis morbis hydropicis eorum usus nondum satis devictus. In hydrope calido plane sunt rejicienda. In hydrothorace magnam postulant cautelam, ne, quod saepe accidit, sub vomendo suffocationis aegrotum invadat periculum [2]).

E. Ematiationes.

§. 21.

In phthisi pulmonali emetica requiruntur ob similem ac in tussi convulsiva effectum et ut pus via quam brevissima e pulmone espuatur; Reid [3]) ipecacuanham, Simmons et Currie [4]) Cupr. sulph. gr. vj — vjjj ternis diebus ad hunc scopum praescribunt; sed tum emetica temeraria, quoniam majore nisu pulmonum inflammatio exulceratioque facile perficitur, ipsaque suffocatio quam celerrime adduci potest. [5])

In atrophia emetica nonumquam eundem ac in scrofulosi praebent usum.

F. Cachexiae.

§. 22.

In chlorosin efficacem saepe exercent vim tum sordibus evacuandis, tum concussione totius organismi et

---

[1]) Rust in paaelect.

[2]) Don Monro Abhandl. v. d. Wassers. etc. a. d. Engl. Leipz. 1777 et Hufel. Journ. Vol. XIV. St. I.

[3]) Vers. üb. d. Natur. u. Behandl. d. Lungens. a. d. Engl. v. Diel. Offenb. 1785. u. in d. Samml. a. Abhandl. f. pr. A. Bd. B. XS. 603. 607. 643.

[4]) in d. Samml. a. Abhandl. z. Gebr. f. pr. A. Bd. VI. S. 83.

[5]) A. F. Metternich v. Schad. d. Brechm. in der Lungens. Mainz 1792.

incitatione praeprimis systematis uterinalis [1]). In scrofulis emetica laudantur, quibus primae viae purificentur, systema lymphaticum incitetur resorptioque augeatur [2]).

Icterum spasticum [3]) solo emetico saepe sanari similiter ac f. biliosa, elucet.

G. Morbi locales.

§. 23.

Gastrosi removendae, si turgescentia sursum adest, neque obstructio alvi neque aliud quidquam nobis obstet, nulla meliora esse emeticis, nemo negabit.

In tumores discutiendos magno cum fructu sumuntur.

In tumore testium ad praeclarissima spectant remedia (Rust). In bubonum curatione emetica licet a nonnullis praestantiora nominentur remedia [4]), tamen plurimi in stadio inflammatorio eorum usum vetant [5]).

Ad fungum quoque medullarem resolvendum emetica a nonnullis gloriantur medicis [6]).

---

[1]) Richter spec. Therap. Bd. 3. p. 766.

[2]) Hufeland üb. d. Natur, Erkenntn., Mittel u. Heilart d. Scrofeln p. 170. ff.

[3]) Haase l. c. Bd. 3. Abth. I. p. 195 §. 158.

[4]) Hunter.

[5]) P. Frank epit. l. s. p. 222 et J. Wendt: d. Lustseuche etc. Bresl. 1819.

[6]) Girtanner l. c. p. 375.

Vitae Curriculum.

Ego Eduardus Schnitzer fidei veteris testamenti addictus natus sum Oppolii, Silesiae superioris oppido, anno millesimo octingentesimo quinto, patre Josepho, et matre e gente Pappenheimiana, quos adhuc a Deo incolumes mihi servatos esse, laetor. Primis literarum rudimentis domi imbutus, Gymnasium regium, quod floret in urbe patria, per octo annos frequentavi. Ab hoc instituto cum maturitatis testimonio dimissus in alma literarum universitate Viadrina Vratislaviensi die XXIV. mens. Octob. a. MDCCCXXVI ab illustr. Schulz, t. t. rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus et a beato Büsching, t. t. facultatis philosophicae decano, philosophiae studiosis adscriptus sum. Quo ex tempore cum per semestre in liberalissimis studiis versatus essem, apud illustr. Wendt, t. t. medicorum ordinis decanum spectabilem medicinae nomen dedi.

Lectionibus vero per tres annos interfui his:
Ill. Rochowsky de methodo studii philosophiae optime instituendi et quibusdam Platonis dialogis; Ill. Schneider de Aeschyli Prometheo; Celeb. Braniss de Logice et Aesthetica; Ill. Wachler de hodegetice, de encyclopaedia universali, de historia literarum germanicarum, de historia medii aevi necnon de historia literarum ejusdem aevi; Ill. Steffens de Physice; Ill. Fischer de Chemia experimentali et pharmaceutica; Celeb. Glocker de oryctognosia; Ill. Klose de encyclopedia medica et de therapia generali; Ill. Otto de Zoologia, de anatomia corporis humani theoretica et practica, comparativa et pathologica, de historia et physiologia foetus humani et de sectionibus forensibus rite instituendis; Ill. Treviranus de elementis botanices, adjunctis excursionibus botanicis; Celeb. Henschel de plantarum ordinibus naturalibus

et de plantarum officinalium cognitione et usu; Ill. Purkinje de physiologia corporis humani et de psychologia; Cl. Hemprich de pathologia generali; Ill. Wendt de materia medica; Ill, Remer de febrium pathologia et therapia speciali necnon de methodo formulas medicas concinandi; Cl. Seidel de historia literarum medicarum; Celeb. Seerig de chirurgia tam generali quam speciali adjunctis paraeceptis akiurgiae nec non de morbis syphiliticis.

A. MDCCCXXIX Berolinum profectus ab illustr. Klenze t. t. rectore magnifico et ab illustr. Wagner t. t. decano facultatis medicae spectabili inter med. studiosos iterum receptus sum. Inde ab hoc tempore has lectiones frequentavi.

Ill. Horn de therapia speciali morborum tam acutorum quam chronicorum nec non de morbis syphiliticis; Ill. Osann de fontibus medicatis; Ill. Casper de morbis infantum; Ill. Rust de chirurgia generali et speciali; Ill. Jüngken de morbis oculorum; Ill. Kluge de arte obstetricia theoretica et practica. Ad praxin medicam Perill. C. W. Hufeland, Ill. Osann, Ill. Busse et Ill. Wolff, ad praxin chirurgicam Ill, Rust, ad praxin obstetriciam Ill. Kluge mihi duces erant.

Jam tentaminibus, tam philosophico, quam medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum Ordine sustentis, spero fore ut dissertatione conscripta thesibusque defensis, summi in Medicina et Chirurgia honores in me conferantur.

Theses defaendae.

I.

Incisio caeteris hydroceles operationibus praeferenda.

II.

Psychologia a medico tantum bene colitur.

III.

Consensus et antagonismus nonnisi nervis efficiuntur.

IV.

In mittendo sanguine medicus non tam annos numerare, quam vires aegrotantis aestimare debet.